

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8843

Auteur(s) : Guy d'Ambrières []

Auteur(s) :

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1150-1200]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Guy d'Ambrières confirme la donation faite par Odon d'Aillières à l'abbaye de Perseigne.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° CCCVIII, p. 180-181.

Dissertation critique

Odon d'Aillières et son fils Odon sont les seigneurs d'Aillières vers la deuxième moitié du XIIe siècle (voir FLEURY, *Cartulaire de Perseigne*, p. 213-214).

Texte d'après a

Notum sit presentibus et futuris quod ego Guido de Ambr. assensu et voluntate Gervasii filii mei primogeniti concessi et confirmavi abbatie SancteMarie de Persenia totam donationem et elemosinam quam Odo de Alleriis filius Odonis de Alleriis dedit dicte abbatie de Persenia que de feodo meo erat, videlicet totam terram illam que est inter vallem comitis et viam que dicitur Phaiel, que dividit nominatam terram a dominio meo, sicut ipsa via Phaiel porrigitur ad viam de Nube, usque ad locum vocatum Crucem defuncte Hersent. Concessi etiam et vallem comitis quam elemosine possidebant et diu possederant monachi de Persenia de dono Odonis de Alleriis patris Odonis de Alleriis. Concessi etiam oscham inter campos Hemart ad 3 minas sementis juxta viam de Breteignoles. Convenit autem mihi et Odoni de Alleriis quatinus servitium quod mihi reddere tenebatur in terra quam ut dictum est dedit monachis de Persenia, ipsum servitium reddet mihi idem Odo de Alleriis et heres ejus in residuo ejusdem feodi mei quod remansit ei in masura scilicet que est juxta chalceiam de Breteignoles. Et sciendum quod hic Odo de Alleriis filius Odonis de Alleriis habuit a monachis de Persenia pro donatione nominate terre 15 l. cenomanensis monete, et uxor ejus Esperviere et fratres Odonis et filii et filie habuerunt singuli dona sicut expressum est in carta sigillo comitis Roberti munita. Et ego Guido habui pro concessione 20 solidos cenomanensis monete, et Gervasius filius meus primogenitus quinque solidos andegavenses et mater mea Aaliz V solidos andegavenses. Pretaxatam donationem et elemosinam liberam, quietam et absolutam ab omni consuetudine terreno servitio et seculari exactione concessimus. Ego Guido de Ambr. et Gervasius filius meus primogenitus Odo de Alleriis et uxor ejus Esperviere filii et filie et fratres Odonis et manucepimus tuendam et conservandam in omni pace predictae

abbatie de Persenia, sicut in carta comitis Roberti sigillo munita continetur. Testes sunt Odo Cotinellus, Elinandus de Conge, Girardus Cotinellus, Petrus Boschet, Johannes presbiter de Contille, Johannes presbiter de Alleriis.